



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

110. Plaga frigida: Ex Curtio:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

dulces hauriant latices, priusquam ex alto telurem conspiciant. Terra partim in planitiem expansa, partim in colles clementer assurgens, foelix præpinguibus glebis, & riguo solo, semperque veranate: credita femina multiplici reddit fœnore, ac sacchari præsertim est ferax, quod cœleste est donum.

### T A P R O B A N A.

Ex Maffæo, lib. 3.

Descriptio CIX.

**H**æc ouali maximè figura ducentarum circiter, & quadraginta leucarum ambitu, leucas in longitudinem septuaginta octo patet, in latitudinem quatuor, & quadraginta, atque à Cori promontorio, vt supra diximus, auulsa freto vadoso, Piscariæ, quam appellant, oræ protenditur: ea clementia cœli, soli vberitate, & copia fluminum, aquarumque perenni, vt primorum parentum sedes olim perhibeatur fuisse: varia pecorum armenta, nec non elephantos gignit egregiè bellicosos, ac dociles: cæteris metallis caret, ferrum incolæ effodiunt: plurimas fert gemmas, verum præcipua claritate sapphiros, chrysolitos, pseudopalos, ac pyropos, itemque aromata pretiosa, cinnama, cardamomum, piper, ac palmas eximie bonitatis.

Ad hæc, vel in primis iucundo spectaculo syluosi montes, ad effigiem theatralem inflexi, vastam planitiem oblongo circuiu, in caueæ formam includunt: quorum vnus in arduam, & surrectam altitudinem penè septem leucarum exurgit.

### P L A G A F R I G I D A.

Ex Curtio.

Descriptio CX.

**P**aropamisadæ appellantur, agreste hominum genus, & inter barbaros maximè inconditum, locorum asperitas, hominum quoque ingenia durauerat. Gelidissimum septentriones a rem ex magna parte spectant: Bactri-

anis ad occidentem coniuncti sunt. Meridiana regio ad mare Indicum vergit; Tuguria latere primo strunt, & quia sterilis est terra materiae, vdo etiam montis dorso vsque ad summum ædificium fastigium eodem laterculo vtuntur. Cæterum structura latior ab imo paulatim incremento operis in arctius cogitur: ad vltimum in carinæ maximæ modum coit. Ibi foramine relicto supernè lumen accipiunt: ad medium vites, & arbores, si quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obrunt: penitus hyeme defossæ latent, cum niue discussa aperti humus cœpit, cœlo, solique redduntur. Cæterum ad eò altæ niues premunt terram gelu, & perpetuo rigore constrictæ, vt ne auium quidem, feræve vilius vestigium extet: obscura cœli veriùs vmbra, quam lux, nocti similis premit terram, vix vt quæ propè sunt, conspici possint, in hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quicquid malorum tolerari potest, pertulit, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem, multos exanimauit rigor insolitus niuis, & multorum adussit pedes, plurimorum oculos, præcipuè perniciosus fuit fatigatis, quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant, quæ cum moueri desisissent, vis frigoris ita adstringebat, vt rursus ad surgendum conniti non possent.

### P L A G A T O R R I D A.

Ex eodem Curtio.

Descriptio CXI.

**A**quarum (vt ante dictum est) penuria, priusquam desiderio, desperatione bibendistim accendit per quadraginta stadia, nec modicus quidem humor existit: arenas vapor æstiu solis accendit, quæ vbi flagrare ceperunt, haud secus, quam continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ feruore incitata lucem tegit campumque. In Asia, quæ vasti, & profundi æquoris species est, nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore, & matutino frigore corpora leuabantur. Cæterum cum ipse æstus oritur, siccatur, omnemque naturalem absorbet humorem siccitas, ora, visceraque penitus vtuntur.

Cccc 3.

HOR: